THEOPHRASTI DE HISTORIA PLANTARVM LIBER SEPTIMVS.

De herbaceis & oleribus: treisq; esse sementes hortensium: & quid quoq; tempore seratur: necnon quæ serò, quæ uelociter ex oleribus emicent. Caput I

SEQVITVR ut de herbaceis doceamus: id enim reliquum è generibus est, in quæ principio plãtas omnes digessimus: quo in genere olera etiam, & frumenta quodammodo comprehendi uidentur. At primum de oleribus indicandum, sumpto ab urbanis principio: sunt enim hæc sylueſtribus longe notiora. Sementes hortensium, quibus seri singula solent, tres certe notantur, una hyberna, alia æstiua, tertia quæ inter eas cadit, post hybernum solstitium: quas ita appellant, non ratione satus, sed ortus, ususq; cuiusq;. Satus enim in contrarijs ferme consistit temporibus, quippe cum hyberni principium post æstiuum solstitium sit, mense Iulio, quo brassicam, radiculam, rapam, & quæ semẽtis postera uocant, ceu betam, lactucam, erucam, rumicem, sinapi, coriannum, anethum, nasturtium serere assolent: primamq; semẽtem istam appellant. Secunda post brumam Ianuario incipit mense, qua seminant, defiguntq; porrum, apium, gethyum, atriplicem. Tertia, quam æstiuam appellant, mense Martio agitur, qua cucumis, cucurbita, blitum, ocimum, portulaca, satureia seruntur. Quin & alias plures sementes similiũ singulis temporibus faciunt, ut radicis, ocimi, & aliorum quorundam, sed omnibus sementibus, quæ postera uocitant, seri optime possunt. Omnia pari tempore nequaquam proueniunt, sed alia celerius, alia serius, quæ scilicet prouentu cõtumaciora consistunt. Celerrime ocimum, blitum, eruca: & de hybernis radix, die nanq; (ut ita loquar) tertio erumpit, lactuca quarto, aut quinto: cucumis, & cucurbita circa quintum, aut sexto, uel, ut alij uolunt, septimo: sed prius, celeriusq; cucumis. Portulaca serior hisce exit. Anethum quarto. Nasturtium, & sinapi, quinto. Beta æstate, sexto: hyeme, decimo. Atriplex, octauo. Brassica, decimo. Porrum & gethyum nõ conueniunt, sed porrum decimonono, nonnunquam etiam uicesimo die prouenit: gethyum decimo, aut duodecimo. Coriannum prouentu contumax est, quippe quod si nouum sit, nasci recuset, nisi conuoluatur. Satureiæ, atq; origano dies plus quam triginta dãtur. Omnium difficilime apium nascitur: quadragesimo enim die affirmant, qui celerrimum eius prouentum tradidere: sed sunt, qui quinquagesimo uelint, quod etiã omnibus sementibus seri potest: quidam enim omnibus id adiungunt. Ad summam, quæ locis pluribus seri patiuntur, hæc nihilo celerius ex maiore parte proueniunt: quod mirum, si tempus, aër ue, nihil cõferat ad celeritatem. At si improba, frigida, cœloq; tristi circundata sunt, serius prodeunt: nam & tempestas, serenitas ue sementi succedens, facit ut aliâs serius, aliâs maturius germinetur. Discrimen illud quoq; in sementibus singulis, quod locis apricis, temperatisq;, maturissime prouentus fieri solet: causas enim eorum (ut simplicius loquar) in pluribus constare credẽdum est: exempli gratia, in seminibus ipsis, in cœlo, in tempore, quo singula fieri placuerit: adde tempestates, serenitatesq;. Sed hoc amplius inspectandum, in quibus tempora differant, atq; in quibus cõueniant: radicem enim tertio die tam æstate quàm hyeme quidam prouenire affirmãt. Ad hæc temporum (ut retulimus) diuersitate plurimum dissident. Ergo tempora germinandi hæc & sunt, & singulis addicuntur. Refert ad celeriorem, seriorem ue prouentum, & seminum ætas: quædam enim maturius ex recentioribus exeunt, ut porrũ, gethyum, cucumis, cucurbita: quamobrem nonnulli semen cucumeris lacte, aut aqua præmaceratum serunt, quo celerius exeat. Con-

trà quædam ex uetere celerius, ut apium, beta, nasturtium, satureia, coriannum, origanum: haud enim omnia oriri melius è recentiori possunt, quemadmodum dictum est. Peculiare in beta inquiunt euenire, quod non semen omne continuò pullulat, sed longo tempore pòst, anno scilicet sequente, & tertio: qua de causa ex larga copia seminis exiguum prodire solere. Quodq; autem seminum si auctum in plenum deciderit, ad tempus usque suum in humo perdurat: nec prius germen ullum emittit, ut ratio est: sic enim in sylueſtrium genere euenire uidemus, nisi semen intereat. Perfectiones autem fructuum omnium æstate contingunt, sed prius, celeriusq; (ut simplicius agam) illa perficiuntur, quæ prius sata fuerunt. Refert enim & tempus: sata enim diebus calidis, celerius caulescunt, semenq; ocyus reddunt, ut radix, ut rapa: quædam non anno tantum fructificant, uerumetiam bimatu, ceu apium, porrum, gethyium, quæ quidem uel plus temporis edurare queunt. Nec annua dici debent: maior enim eorum pars simulatque semen perfectum sit, exarescit. Omnibus penè, quæ caule emisso fructum perficiunt, facies eo perfici solet, quod ex caulibus laterales surculos ædunt: exceptis quæ unicaulia constant, ut porrum, gethyum, cepe, allium. Omnia autem aquam, simumq; cupiunt: sed magis quæ infirmiora sint, curáque egeant maiore, aut etiam alimento copiosiori.

Quæ olera è quibus nascantur: nasci uero è semine, auulsione, ramo atq; radice. Quæ caule reciso regerminent: quæq; radices perdurent: & quæ regerminent, & quæ non.

Caput II

Ascuntur omnia è semine: nonnulla etiam auulsione, ramo, radiceq;. Auulsione, brassica: semper enim uel aliquid radicis eius accipitur. Germine, ruta, & origanum defiguntur, necnon & ocimum: nam id quoque transfertur cum ad palmum, aut plus altitudinis uenerit, dimidio abſciso. Radice allium seritur, & cepe, & bulbus, & arrus: & in plenum, quæ in capitatorum genere eiusmodi sint. Nasci etiam ea possunt, quorum radices plus temporis durant, quanquam annuo constent caule: sed quod omnia prouenire semine possunt, manifestum hinc est. Ruta enim sic nascitur, quod quidam negant: uerum tarde, qua de causa surculo serere eam solent. Illorum uero, quæ radice prouenium, radix quidem diuturna est, ipsa autem annicaulia consistunt: itaque radices talium suo latere germinant, pluresq; reddũtur, non tantũ in urbanis, atq; hortensibus, uerumetiã in sylueſtribus (ut dictũ iam est) ceu in bulbis, gethyis, scyllis, alijsq; quibusdam. Quædam etiam non capitata, uerum diuturniora germinare posse cernuntur, ut apium, beta: mittunt enim radices, quibus folia, caulesq; proueniunt. Gethyum quoque latere germinat, & porrum subtus suo latere promit, ueluti quoddam caput bulbaceum, ex quo foliorum ortus: caule tamen arefacto, seminéq; sublato. Sed quoniam eorum capita minus usui sint, idcirco siccanda minime leguntur, ac proinde nunquam seruntur: sed hæc forsitan, & similia genere, & proxima quodam modo naturæ ceparum consistunt: quamobrem mirum est. Veruntamen & in omnibus tam urbanis, quàm sylueſtribus, quæcunq; diuturniora, simulq; terræ propiora constent, horum radices regerminare facile possunt, ut uel in fruticum, atque suffruticum genere fieri nouimus. Verum in cepis, allijs, bulbisq;, uel numero hæc quodammodo amplecti potueris. Prouentus autem (ut retulimus) trifarius est: semine, qui communis omnium est: caule, radiceq;, qui prædictis tribuitur. Caule uero reciso (ut ita loquar) omnia regerminant, exceptis quæ secaulia uocant. Sed euidentissima quasi & usitata, ocimum, lactuca, brassica: & quidem lactucæ regerminatos caules suauiores affirmant. Primos enim lactuosos esse

esse atque amaros, utpote minus concoctos: alij è contrario uolunt secundos scilicet lacte refertiores constare, sed dulciores sentiri, quandiu teneri sint. Verum in brassica cæteris esse suauiores caules regerminatos cõfessum habetur, si antequam excaulescat, folia detrahantur: radices plurimum certe perdurant, & aliæ regerminant, aliæ non. Radix & rapa, si terra cooperiantur, usque ad æstatem durare, & crescere possunt: quod olitorum nonnulli de industria faciunt: non enim regerminant, neque folium mittunt, nisi accumulatam humum semoueas, quod uel in reliquis deprehendi facile potest. Maxima olerum pars unistirps, ea scilicet radice, quæ agitur in profundum. Etenim quæ illas æque crassas latere suo mittunt, ut apium, betaq; de media quodammodo spargunt: nec à principio continuò findunt, sed ad ipsam unicam stirpem fissionem eiusdem illius lateralisq; agunt. Et eas quidem manifestas ex usu reddi affirmãt. Betis autem radix unica, sed longa, crassa, rectaq;, sicut raphano: crassas hæc laterales gerit, & aliâs binas, aliâs ternas, aliâs etiã unam, quibus exortæ fibræ cohærent, & alligant. Carnosa radix hæc est, & gustatu suauis, quamobrem crudam nonnulli mandunt: cortex non crassus, neque extricabilis est modo raphani, sed potius equapio proximam dixeris. Eodem modo & atriplici radix una alte descendens, aliæ uero ex ea se depromunt. Omnium maxime unistirpem rumicem esse putaueris: laterales enim crassas nullas penitus agit, sed tantum prætenues: nititur altissima omnium radice, maiore nanque semipedibus ternis: sylueſtris breuiorem agit, multicaulis atque ramosus consistit, & tota forma, cum perfecta est, betæ proxima sanè cernitur. Diuturnitate quoq; sylueſtrem, & in totum (ut ita loquar) omnia olera uincit. Perdurat quantumuis temporis, ut aiunt: carne plena, atq; humecta consistit: qua de causa effossa diu uiuere potest. Ocimo quoq; radix unica data est, quæ crassa esset, alteq; descenderet. Cæteræ uero, quæ de latere prætenues orirentur, admodum prolixæ adhærent. Quædam singulari illa in rectum tendente carent, ut blitum. Sed continuò ab extrema multas crassas prolixiores, quàm atriplex agunt.

Quibus lignosæ, & quibus carnosæ, & quibus breues radices: deq; diuersis seminum figuris, & eorum differentijs: item quæ feraciora semina.

Caput III

Omnium radicum lignosissima ocimo data est, sicuti etiam caulis: bliti enim atque atriplicis minus lignosæ. Vt enim in plenum loquar, aliæ carnosæ, aliæ lignosæ: carnosæ, ut betæ, apij, equapij, rumicis, raphani, & omnium maxime capitatorum: istæ nanque ne siccatæ quidem omnino durescunt: lignosæ, ocimi, bliti, atriplicis, erucæ, anethi, rumicis, corianni, atq; in summam omnium multicaulium: habet enim & anethum, & coriannum, quæ unistirpia sunt, radicem lignosam, & non prolixam, neq; fibris multis subnixam. Ambo multis caulibus, multisq; ramis consistunt: quapropter nulli pars eorum superior, pro ratione inferioris extat. Breui radice illa constare no tantur, lactuca, portulaca: breui in quantum ea recta, quæ deorsum mittenda est, tum ijs quæ in latus porrigi solent. Lactuca ea ipsa multiplici radice quasi omnino caret, sed fibris tantum cohæret, quamobrem unistirpem hanc (ut ita dixerim) maxime omnium esse putaueris. Ad summam, omnia æstiua breuem radicem sortiuntur: etenim pepo, cucurbita, cucumis ita se habent, tum propter tempus, tum & forsitan magis ratione naturæ, quæ tempus secuta est. Lactuca translata radicis est breuioris, quàm sata: illa enim ex lateribus magis mittit. Breuior etiam sylueſtris, quàm urbana, & superne multicaulior est: quodq; ex cæterorum numero florem uniuersum citare utiq; constat; ocimum uero particulatim primum inferius, deinde

cum ea defloruerit parte, florere ſuperius incipit. Vnde fit, ut diutius iſtud floreat, quemadmodum faba, & inter herbas quæ ſolaris nominata eſt, & quædam de ſylueſtribus alia. Floret etiam cucumer eum in modum, qui pepo cognominatus eſt: etenim huic præpoſtero germinet, ſanè accidit. Flores alijs candidi, alijs lutei, alijs ad purpuram leuiter accedentes, rubri nullis emergunt. Semina figuris etiam inter ſe diſtant: etenim maiore quidem ex parte rotunda ſunt. Sed non deſunt oblonga, neq; lata, neque foliata, ut atriplicis: hæc enim ſimilia, atq; in laſerpitio conſiſtunt. Adde quædam anguſta & canaliculata, ut cumino. Color quoque differentiam facit: ſunt enim alia nigra, alia candida, alia ligno proxima. Publica differentia, quod alia incluſa ſiliqua conſtant, alia nuda adhærent: ut quod alia cortice, alia pappo lanugine obducuntur: radici nanque, & ſinapi, & rapo, ſemen in ſiliqua: corianno, fœniculo, anetho, cuminoq; nudum adhæret: bleto, betæ, atriplici, ocimoq; cortice continetur: lactucæ lanugine obducitur. Omnia ſeminis, germinisq; large fœcunda: ſed fœcundiſſimũ omnium cuminum eſt. Peculiare etiam quod de hoc dicunt: imprecari nanq;, & maledicere ſerendo oportere affirmãt, quò lætius, copioſiusq; proueniat. Difficile (ut ita loquar) omnia exiccantur, cumino excepto: nec modo frumenti conſiſtunt, quod cum primum in plenum creuerit, mox exiccatur & decidit: ſed quæ cortice continentur, difficilius exiccantur, & inter ea maxime ocimum. Omnia ſiccata fœcundiora reddũtur: qua de cauſa detracta antea exiccare conſueuerunt. Omnia feracia, largeq; fœcunda conſiſtunt: ſed fœcundiſſimum ocimum, porrum, & cepæ ſunt, quæ latere potius apta ſint fructum parere, ut radix, rapa, & reliqua generis eiuſdem: quædam parte utraq; ferunt, ut blitum, atriplex, hæc enim fructificare, uel ex ſuo latere poſſunt: ſicq; copioſius, protinus enim nodis ſingulis ſemen incidẽs racematim nimirum gerunt. Quæ ſeminibus uetuſtioribus ſata ſint, celerius excauleſcunt. Celerrime uero quæ uigentibus: eſt enim uel eorum uigor quidam, quo prouenire, cõſummariq; optime poſſunt. Pulchritudo quoq; ad portionem ſequitur: quin & ſi aceruatim ſerantur, melius quædã naſci, augeriq; poſſe uidentur: ſic enim porrum, & apium ſerunt in lacinijs colligatum, atq; ita ampliora redduntur. Locus quoq; ad incrementum aliquid conferre uidetur: quamobrem cum apium transfertur, palum tantũ adigere, quantum apium facere uolueris, iubent: necnon & ſemen eius colligatum in lacinijs palo adacto, & fimo, terraq; ingeſta ſerendum cenſent. Quædam etiam figuram ſubditi loci imitãtur: cucumis enim formam accipit loci, in quo ſata fuerit. Quin & ſaporum differentiam quædam ſemina capiũt præparata, ut cucumeris, ſi lacte maceratum ſeratur: ſed hæc fortè cultui accommodari potius debent.

Quæ olera plura genera habeant, quæ pauciora, ut radix, id eſt raphanus, rapa, braſſica, beta, cucumis, cucurbita, cuminum, lactuca, apium, cepa, aſcalonia, gethyum, allium.

Caput IIII

Enera autem alijs plura, alijs minime. Plura ut ocimi, rumicis, bliti, naſturtij, erucæ, atriplicis, corianni, anethi, rutæ: his enim diuerſitatem generis deeſſe omnino uolunt. Quædam è contrario pluribus conſtant generibus, ut radix, braſſica, beta, cucumis, cucurbita, cuminum, allium, lactuca. Diuidunt hæc folijs, radicibus, coloribus, ſaporibus, reliquisq; eiuſmodi. Vt radicis genera corinthium, cleonæum, liothalaſſium, bœotium. Ampliſſime corinthia adoleſcit, quæ uel ſtirpe conſtat detecta: hæc enim ſurſum uerſus protruditur, nõ ut cæteræ in terram ampliari ſolita eſt. Liothalaſſia, quam thraciam uocãt, ualidiſſima aduerſus frigora traditur. Bœotia dulciſſima eſt, & figura rotunda, nec ut cleonæa, prælonga. Quibus folia leuia, dulciores, ſuauioresq; ſunt: quibus autẽ ſcabra, acriores. Genus præterea redditur, quod folijs eru-

cæ

cæ ſimile conſtet. Radicis genera hæc notauerũt. Rapæ alij eſſe, alij nõ eſſe diuerſitatem generis putant, ſed mare tantum, fœminaq; differre, naſciq; ambas ex eodem ſemine: ſed ut effœminentur, raras deponere oportere: nam ſi denſæ poſitæ ſunt, omnes maſculeſcere aiunt. Quod idem futurũ etiã ſi in terra uitioſa ſeueris, qua de cauſa ſemine ſatas plantatim transferentes deponunt. Semen quoq; deterius, melius ue uiſu percipi poteſt: quod enim probũ ſit, tenue ſenties: quod uitioſum, craſſum. Gaudet frigoribus & rapa, & radix: & ſic eas dulceſcere putant, ſimulq; incrementum in radicem, non in folia uerti. Auſtrinis atq; ſerenis temporibus celeriter caulescunt. Hoc igitur rationẽ ſanè exigit, quatenus in ambobus differẽtiæ ſimilitudinis conſtent. Braſſicæ autẽ trifariam datur digeſtio: aliã enim criſpam, aliã leuem, aliam ſylueſtrem notarunt. Sylueſtri foliũ leue, ſed paruum atq; rotũdum, & ramis folijsq; permultis condita eſt: ad hæc ſuccum aſperum, & inſtar medicamẽti habet, quamobrem eo medici ad aluum purgandã ſæpe utũtur. Quin & illud differẽtiam facit: genus enim quoddã earum eſt, quod nullum aut prauum ſemen producat. In totum criſpa ſucci bonitate & folij amplitudine, leui præſtãtior eſt. Inter betas uero candida, ſapore nigra præſtantior, pauciorumq; ſeminũ eſt, quam ſiculam quidã appellarunt. Pari modo in genere lactucarum, cãdida dulcior atq; tenerior: cuius tria genera addũt, laticaule, rotũdicaule, & laconicum: huic foliũ carduo ſimile, & recta, ampla, & à caule minime brachiata hæc eſt. Inter latas adeò quædã laticaules fiunt, ut pro ualuis hortorũ hiſce nõnulli utãtur: quæ uero lactis admodũ copioſa, & folio puſillo, & caule candidiori conſiſtit, ſylueſtri ſimilis eſt. Apiorũ cum in folijs, tum in caulibus diſcrimen utiq; conſtat: aliud enim folio ſpiſſo, criſpo, dẽſoq; : aliud rariori, latioriq;, cauleq; maiori. Horum iterũ aliud candidi caulis, aliud purpurei, aut uerſicoloris: uerũ ad ſummam, eiuſmodi omne ſylueſtri proximũ eſt. Cucumeris atq; cucurbitæ partim genera eſſe exiſtimãt, partim negant, quemadmodũ & in radicis ac rapæ generibus, ſed in uno eodemq; genere alias meliores, alias eſſe deteriores affirmant. Cucumeris genera tria notant, laconicum, ſcytalium, bœotium: ex his laconicum melius rigatũ euadit, reliqua nõ rigata præſtãtiora ſunt. Differũt & cepæ, & allia genere: ſed ceparũ genera plura, ut quæ à locis nomina accepêre, gardiæ, cnidiæ, ſamothraciæ: item ſetanicæ, & fiſſiles, & aſcaloniæ. Ex his ſetanicæ minimæ, ſed largæ, dulces: fiſſiles uero & aſcaloniæ, tum cultu, tũ natura inter ſe differũt: fiſſilem etenim hyeme ſua cum coma inertẽ relinquũt, Vere externa folia detrahũt, & reliqua colũt: detractis his folijs, altero germinãt, ſimulq; inferius finditur: unde fiſſiles appellatæ ſunt. Quidam uel omnibus detrahẽda folia cenſent, ut uim ſuã imo contineant, neq; effuſæ ſemineſcãt. Aſcaloniarum peculiaris quædã natura notata eſt: etenim ſolæ fiſſiles, & quaſi ſteriles ab radice conſiſtunt, nec ea parte creſcere, ac proficere poſſunt: quamobrem non eas deponunt, ſed ſemine ferunt: cum deinde germinatum ſit, transferunt. Perficiuntur adeò celeriter, ut cum cæteris, aut etiam prius euelli poſſint. Plus temporis dimiſſæ in terra, putreſcunt. Plantatæ caulem ædunt, ſemenq; tantummodo fundunt: tum exinaniuntur atque inareſcunt. Harum igitur talis natura eſt. Differunt & colore nonnullæ: etenim apud Iſum cætera quidem candidis ſimiles conſtant, ſed colore candidæ admodum proueniunt, ſardianisq; ſimiliter ferè affirmant. Cretenſium peculiaris maxime natura notatur, ſed aſcalonijs quodammodo proxima, ni fortè uel eadem dici debeat: eſt enim in Creta genus quoddam, quod ſemine quidem ſatum in radice craſſatur: depoſitum uero in caulem, ſemenq; totum funditur: ſine capite, ſaporeq; dulce eſt: id enim quaſi è contrario cæteris habet: omnes nanque depoſitæ melius, celeriusq; perficiuntur. Omnes poſt arcturum proueniunt, tepido adhuc ſolo, ut depoſitas imbres occupent. Seruntur & toto capite, & circunciſo, ſed germinationes haud ſimiles

fieri ſolent: parte nanque inferiore cepæ naſcuntur, ſuperiore herba tantum erum pit: ſectæ in rectum germinare omnino nequeunt. Gethyum dictum ſine capite eſt, & quaſi longa ceruice cõſiſtens, ob id germinatio tota in fronde: ſæpiusq; reton detur, ut porrum, qua de cauſa ſemine ſeritur id nec deponitur. Cepas hiſce ferè differentijs diſcernere licet. Allium ante ſolſtitia, aut paulò poſt ſolſtitia ſeritur nucleatim diuiſum. Diſcrimen eorum, quod aliud præcox, aliud ſerotinum: eſt enim genus quoddam eiuſmodi, ut ſexaginta diebus perfici poſſit. Differunt præterea magnitudine ſingulari: Cyprium uocatum maxime tale eſt, quod nõ decoquunt, ſed in myttotis utuntur: & cum tunditur, mirum quàm ſpuma increſcat. Quid & illud differẽtiam facit, quod quædam non nucleis coagmentatur. Dulcedo autem, 10
& odor, & craſſitudo, eorumq; cauſa, tempore cultuq; penè uidentur contingere, ut etiam aliorum. Perfici etiã ſemine poteſt, ſed tarde: primo etenim anno caput accipit porri, ſequente diſcerni in nucleos incipit, tertio redditur perfectum: nec quicquam deterius, ſed etiam quidam uel depoſito melius id exiſtimant. Radicis autem allij, aut cepæ, haud ſimilis ortus fieri ſolet: allij nanq; cum nucleus extumuerit, tota intorquetur: & hinc aucta in nucleos rurſus diſcernitur, atq; ex uno plura efficiuntur, dum caput conſummatur. At cepe continuò ab radice aliud atq; aliud obducit, ut & bulbus, & ſcylla, & eiuſmodi omnia. Etenim allia & cepæ, ſi nõ euellantur, plura indies fiunt. Super fiſtula quoque, & allium capitari poſſe, & cepe affirmant. Satis de generibus dictum eſt. 20

Quæ qua cura, culturaq; gaudeant. Quæ aquæ oleribus proſint, & quæ obſint. Translatione olera melioreſcere. Quæ beſtiolæ oleribus innaſcantur.

Caput V

Quas, fimumq; omnia olera ſanè diligunt, ruta excepta, hæc enim fimi aſpernatrix penitus eſt: ſed hyberna magis quàm æſtiua deſiderant, & imbecillia magis, quàm ualida. Fimum ſtipularium maxime laudant: iumentorum uitioſum putant, quoniam maxime inareſcat: fimum unà cum ſatu intermiſtum potiſſimum diſponunt. Quidam etiam inter ſerendum ſuperiaciunt: quin & ſtercore humano inconcocto ad ſuccum probe conficiendum utuntur. Hyberna aquæ cupidiora ſunt, quàm æſtiua: 30
& infirma, quàm ualida: item quæ alimento plurimo egeãt. Diligit aquam & cepe & gethyum: quanquam nonnulli negant, ſi principio bis, aut ter imber inceſſit. Aquarum optimæ, quæ dulces, & frigidæ ſunt: peſſimæ, quæ ſalſæ, & rarefactu difficiles notantur: ob id, quæ ductu feruntur, perutiles: herbarum enim ſemina inuehunt: ſed omnium optimæ, quas Iupiter dederit: his enim uel animalia noxia interimi creditur. Sed non deſunt, qui cucumeribus & cepis eas prodeſſe minime putent. Rigantur cætera quidem hora matutina, aut ad ueſperam, ne aqua feruens ſole officiat. Ocimo etiam meridie aqua datur, germinare nanque celerius id exiſtimant, ſi inter initia feruenti aqua rigetur. Aqua admodum multa cõferre creditur, præſertim ſi fimus non adſit: ſæpe enim olera eſurire dicuntur, idq; olitores peritos haud difficile poſſe intelligere. Omnia translata, meliora, grandioraq; fiunt: porrorum enim radicumq; magnitudo ex translatione. Potiſſimum autem tranſferunt ad & cætera quidem tolerant, ceu gethyum, porrum, braſſica, cucumis, apium, rapa, lactuca. Omnia auctu faciliora, grandioraq; ueniunt ſeminibus depoſitis, quàm fuſim ſatis. Beſtiolæ innaſcuntur radicibus, pulices: braſſicæ, erucæ atque uermiculi: & lactucis, porris, alijsq; pluribus porricidæ appellatæ. Has igitur humor collectus interimit, & fimus aceruatim iniectus: induſtria enim beſtiola condens ſeſe, ut in ſtramento quieſcit in ſtercore. Quamobrem uenari facile eſt, aliter nulla uenandi datur facultas. Radicibus contra pulices ne noceant

ceant remedium, interserere eruum: sed ne nascantur, nullum medicamen compertum referunt. Ocimum sub canis ortum pallescit, coriannum salescit. Ergo quæ accidere solent, ex his liceat cogitare.

Quæ firmiora semina, quæ imbecilliora. Item de aruensibus, sylucstribusq;, ut rumice, braßica, rapa, lactuca, equapio, paludapio, montapio, cucumere.

Caput VI

Eminum alia firmiora ad perdurandum constant, alia infirmiora: firmiora, coriannum, beta, porrũ, nasturtium, sinapi, eruca, satureia, ad summam omnia ferè acris saporis: infirmiora uero gethyum, id enim durare nequit, atriplex ocimum, cucurbita, cucumis: in plenũ æstiua magis, quàm hyberna: sed inter ea quæ fortissima constent, nullum ultra quadrimatum durare potest, ita scilicet ut ad sementem adhuc utile sit. Sed bima sanè meliora, trima nihil ferè deteriora, quadrima iam deteriora: uerũ ad usum cibarium diutius permanẽt: quanquam inualidius alant necesse est, ut quæ partim respirarint, partim læsa à bestiolis sint. Interitus maxime ex bestiolis fieri solet: nascuntur enim in omnibus etiam acribus atque acerbis: cæterum uel humore exhausto amara redduntur, & ideo ad usum deteriora. De seminibus, & ad summam de hortensibus sit satis dictum. Nunc de sylucstribus & ijs quæ aruensia nũcupamus, pariter indicare tentandum est. Sunt igitur quædam nomine supradictorum uocata: genera enim illa sylucstria quoq; omnia esse cernũtur, & maior ferè pars aspectu uicina urbanis est, præterquam quod folijs ista minoribus, caulibusq; scabrioribus constant, & succo potissimum acriori, uehemẽtioriq; conduntur, ut satureia, origanum, brassica, ruta: nam & rumex sylucstris est, & quãquam gustatu gratior, quàm urbana, tamen succu acutior, quo præcipue differant. Omnia autem uel siccior urbanis sentiuntur, & fortè ob id ipsum magna ex parte acriora, uehementioraq; sunt. Brassica præter alia modo peculiari caules sortitur, rotundiores enim leuioresq; gerit, quàm satiua: & foliorum appendicem illa latum, hæc habet rotundiorem, & folium ipsum minus angulatum: nam cætera quidem scabrior tum caulibus, tum folijs cõstat. Rapa uel radice longa, & modo raphani, breuiq; caule consistit. Lactuca folio breuior, quàm satiua est, idq; cõsummatum aculeatur, & caule simili modo breuiori perficitur: succum acrem, ac medicatum habet. Nascitur inter arua, liquatur per messem tritici, & purgare aquã intercutem dicitur, & caliginem arcere ab oculis, & argemam auferre, cum lacte mulieris. Equapium, paludapium, montapium, tam inter se distant, quàm ab urbano plurimum differunt. Paludapium enim, quod apud aquæductus, & in paludibus prouenit, folio raro, nec hirsuto consistit, sed simile quodammodo apio est, odore, sapore, figuraq;. Equapium folijs uicinum paludapio est, sed hirsutum, & grandicaule cõstat, & radicem crassam modo raphani agit, sed nigram: fructum quoque nigrum producit, magnitudine eruo ampliorem: ambo utilia referunt ad urinæ difficultates ex uino dulci albo, & ad pellendos calculos. Nascitur omnibus locis, & lachryma ex eo myrrhæ similis defluit. Quidam in totum myrrham id esse affirmãt. Montapium maioribus etiam differentijs distat: folio nanque cicutæ simile constat: radice tenui, caule anethi: minutiori tamen datur in uino austero gratia menstruorum. Quædam cum supradictis nullatenus succo, aut uiribus conueniunt: ut cucumis sylucstris urbano penitus incomparabilis est, sed aspectus tantũ similitudinem gerit: quemadmodum in coronarijs uiolæ accidit, folium enim habet consimile. Horum igitur differentias ex prædictis hisce accipies.

De aruensium differentijs, quodq; ea uocentur olera, quæ nobis usui sint cibario, ut sunt intubum, aphaca, andryala, porcellia, senecio, & intubacea omnia: item pes gallinaceus, enthusicum, mentastrum, hircibarbula, corchorus. Caput VII

ARuensium aũt appellatorum post hæc discrimina, atq; in totũ cuiusq; herbacei minus cibo idonei generis, exponemus. Olera enim uocitamus, quæ nobis usui cibario sint, quæ quidẽ in summa uniuersorum contineãtur necesse est: quamobrem nec ea dimittamus, oportet. Ergo olera appellantur, intubum, aphaca, andryala, porcellia, senecio, atq; in totũ quæcunq; intubacea constant, propter foliorũ similitudinem: eiusmodi enim omnia folijs intubo quodãmodo proximis conduntur: item pes gallinaceus, enthusicum, mẽtastrum. Quidam uel alia innumerabilia nominãt, inter quæ illud, quod hircibarbulam uocant, cui radix longa, & dulcis: folia croco similia, nisi quod longiora: caulis breuis, super quem calyx ampla, & barba de summo uertice cana pendẽs prolixa, unde nomen accepit. Pari modo & alia specie quidẽ eiusmodi constant, succis uero cibo idonea, uel cruda, uel cocta oriuntur: quædã enim coqui exigũt, ut malua, beta, rumex, urtica, muraleum, uesicaria, quæ cruda etiã manditur, & alia plura: inter quæ & corchorus, qui ob amaritudinẽ in prouerbio est: folium eius ocimum sanè æmulatur. Ex cunctis autẽ alia annua, alia annicaulia extant: nec desunt, quæ radice diutius durẽt, quanq; ipsa arescãt. Quinimò eiusmodi haud paucior a ferè adnotantur. Nascuntur alia radice, & semine; alia semine tantũ, nisi quod sponte etiam proueniant.

Germinatio quibus temporibus in oleribus, aruensibus'ue fieri soleat: deq; florum differentia, & quæ differentiæ in caulibus publicæ. Caput VIII

GErminatio uero tam eorum q̃; reliquorũ, partim cũ primis imbribus post æquinoctiũ fieri solet, ut aphacæ, canariæ, & eius quam bupreſtim quidam appellant: partim post uergilias, ut intubi, & omniũ ferè intubaceorũ: & alia cũ germine florẽ ædunt, ut aphia: alia nõ longe post, ut fremium. Quædã ineunte Vere, tam caulem, q̃; florem emittunt, ut intubum, & omnia intubacei generis: & è spinosis, quæcunq; generi olerũ attribui debeãt. Florum autẽ differẽtia magna, de qua primo uolumine retulimus: communis ferè omniũ constat: sed nõ desunt, quæ flore penitus careãt, ut epimetrum. Euenit uero, ut quæ unà cum fructu florem dimittũt, celeriter defloreſcant: cum tamen primus senuerit, alius atq; alius subnascitur, idq; per totã hyemem, uerq; assidue usq; æstatẽ factitatur. Senecio quoq; diutius floret, quanq; reliqua minus, ut & crocum tam odoratũ q̃; candidũ, & spinosum, quæ carẽt odore. Omnium autẽ herbarum discrimen publicũ, quod aliæ recticaules, & neruicaules sunt: aliæ annicaules, ut malua, scandix, cucumis sylueſtris, solaris, quæ porrò tali natura est: nam inter omnes (ut ita loquar) magisq; tali natura est ut inter spinosas tribulus, atq; inturis, & alia plura: nã illorũ etiã differẽtia numerosior est. Quædã uero amplexicaulia plane exeũt: sed si nõ habeant, quibus accumbãt, humi serpunt, & humicaulia dici possunt, ceu petina & lappa, & summatim quibus caulis gracilis, mollis, prælongusq;. Qua de causa semper ferè sup̃ alijs hæc proueniũt: quæ quidẽ differẽtia publica est omniũ, nõ tantũ herbarũ atq; suffruticũ, uerumetiã fruticũ: clauicula enim atq; etiã magis edera cilicia amplexicaulis cõstat. Item herbaceorum alia multis caulibus, alia uno tantũ condunt: & unicauliũ ipsorũ alijs germine caulis brachiatur, alijs è diuerso: sicut etiã inter satiua, radix, & alia quædã. Multis caulibus constãt (ut summatim dixerim) quæ humicaulia exeunt: Vnicaulia uero & paucicaulia, quæ recticaulia sunt. Ex his caule minime brachiato illa creant, quæ leuicaulia sunt, ut cepe, porrũ, allium; quemadmodũ etiã inter satiua animaduertere licet.

Differen

Differentia herbarum in positu locoq; foliorum, necnon fertilitate, sterilitateq;: tum quæ differentia foliorum maxima, quidq; inter herbarũ, arborumq; flores intersit: atq; de sylvestrium herbarum, olerúmue radicibus, & quid distent inter se. Caput IX

DIfferentia illa quoqꝫ herbaceis datur, quod alia ab radice tantũ foliata, alia in caule tantum foliata, alia utrinqꝫ foliata. Ab radice tantũ foliata silago, nigella, anchusa, herba, fremium, frondiflora, apargia, plantago, fraus. In caule tantum foliata, crepis, nigella, foliosa, lotus, uiola alba. Vtrinqꝫ foliata, intubum, siue ampulla: id enim in caulibus, cum ramulorum prouentu unà flosculus quoqꝫ quidam emergit: & ex spinosis foliatis nonnulla, ceu soncus. Sunt etiam alia frugifera, alia sterilia: atque in totum ex herbaceis alia usqꝫ folia tantum ueniunt, alia & caulem, & florem ædunt, sed fructum nullum: quædam etiam fructum pariunt, ueluti naturæ perfectissimæ munus: nisi fortè & sine flore frugiferum aliquid sit, sicuti in arborum genere. Quinetiam folia eorum non paucioribus, sed pluribus ferè differentijs, quàm arborum, inter se distant, nec differẽtijs carent, quibus planè ab illis possint secerni: sed maximam ferè sortiuntur, quod pediculo illa dependet, hæc autem (quoad absolute liceat loqui) se ipsis adhærent. Verum non desunt, quæ cauliculaceo quodam appendice annectantur. Sunt quibus antè quàm folia, protrudi caulis soleat: maximæ tamen parti folia prærumpũt, amplissimaq; penè inter initia fiunt, & maxime ad cibum idonea. Arboribus uero omnibus cauliculus quidam antè propellitur, frons deinde emergit. Differunt etiam floribus plurimum, quippe cum in arboribus pars maxima florum candeat, & quædam paulò ad purpuram uergat: nec desint qui herbidi, atqꝫ pallidi sint, nulli uero colore ardentiori habeãtur. In herbarum autem genere permulti & uarij, tum synceri, tum misti, tum odorati, tum hebetes sentiantur. Item arbores florem, sed non particulatim uniuersum profundũt. Herbarum uero quædam per partes florescunt, ut de ocimo diximus: unde fit, ut diutius floreant, sicut alia multa, & in primis solaris, atque cichorea. Quinetiam radicum multæ differentiæ, atqꝫ prædictis patentiores consistunt. Sunt enim aliæ lignosæ, aliæ carnosæ, neruosæq;, sicut etiam in genere satiuorum conspici licet, ceu frumenti & herbæ specialiter nuncupatæ maiore ex parte. Earum autẽ ipsarum singulæ plurimis inter se differentijs distant, colore, odore, sapore, magnitudine: aliæ nanque candidæ, aliæ nigræ, aliæ rubicundæ, ut anchusæ, atqꝫ rubiæ: aliæ quasi flauæ, & surculi speciem gerentes: adde dulces, amaras, acres, odoratas, maleq; olentes: nec desunt quæ uim habeant medicam, ut aliâs dictum est. Carnosis quoqꝫ differentiæ insunt: nam aliæ rotundæ, aliæ oblongæ, glandosæq;, ut astulæ regiæ, atqꝫ croci: & aliæ multis tunicis constãt, ut bulbi, uel cuiusuis generis bulbosi: adde cepæ, & gethyi, & similium: aliæ æquales, fungosæ, mollesq; toto corpore, & quasi corticis omnis exortes, ut ari: uel corticem carni adhærentem habent, ut mâli terræ, & rapæ. Non autem omnes odoratæ, aut dulces, cibo idoneæ constant, nec omnes amaræ inguſtabiles sunt, sed quæ posteaquam in cibo assumptæ fuere, nihil nocuerint corpori, eas tantũ esculentas statuimus. Quædam enim quamuis dulces, mortiferæ tamen, atqꝫ morbosæ consistunt: aliæ quamuis amaræ, aut male olentes, utiles planè sentiuntur. Pari modo & folia, caulesq; se habent, ceu absinthij, & fellis terræ. Discrimen etiam in germinando, & in florẽdo, ut hyeme incipiẽte, aut mediata, aut æstate, aut autumno. Quin & in fructibus ratio gustãdi eadem est, & in caulibus, & folijs, & seminibus, & radicibus: atqꝫ in ijs ipsis pro ratione saporũ differentiæ cõstant, ut acidi, acris, dulcis, austeri, & reliquorũ eiusmodi, tum simpliciter, tum ratione qualitatis remissioris, intensioris ue. Ergo differẽtias colligi hinc omnino oportet.

Differre herbas temporibus germinatus, & floris historia singulorũ olerum. Spicosa esse, oculum canis, caudam uulpis, linguam agni. Quæ & plãtago, & coturnix, à quibusdã dicta est bibinella.

Caput X

Ed cum singula distincta superius pro temporibus tam ad germinationem, quàm ad florum prouentum, cõsummationemq; fructuum sint, addendũ nunc illud occurrit, quod nec ijs quæ radice proueniãt, nec ijs quæ semine erumpant, germinare quicquam ante tempus sibi accommodatum solet: sed suum unumquodq; tempus expectat, nec ab imbribus quicquam infestatur. Quædã serotina admodum tam germine, quàm flore percipiuntur: ut carduus, ut cucumis sylueſtris: quod etiam in suffruticum genere de pollicaria, & inturi, & alijs quibusdam retulimus: nec enim aliquid eorum floret, aut germinat ante proprium tempus. Quamobrem hoc etiam in arboribus differre appareant, quippe cum illorum simul quodammodo omnium germinatio fiat: aut si ita minus, uno quidẽ, eodemq; dixerim tempore anni germina omnium citari: his autem multis, uel potius omnibus temporibus germen, atq; etiam magis flos exeat. Quapropter si animaduertere uolueris, assiduam penè per totũ annum germinationem, & floris productionem uidebis. Semper enim alterum alteri succedẽs tempora omnia occupat. Exempli gratia: Aphacam crocum erumpet, & fremium, & senecio, cæteraq; hyberna, tum uerna sequentur, dein autumnalia accedent. Multi uero ex singulis floribus prouẽtus prorogant suos ut dictum est. Sunt enim quæ ita florent, ceu aphaca, & turdaria, & cichorea, & plantago, & alia quædam: uerum propter assiduam continentiam, occupandiq; uicissitudinem haud facile percipi in aliquibus potest. Nec est determinare quæ prima germinent, quæ ue serò, nec eorum ipsorum generationes, ac tempora recenseri queunt, Quibus fructibus consummatis, alia initia denuò generãdi instituãt, quod post autumni æquinoctium euenire potissimo solet. Tunc enim semina ex maiore parte perfecta habentur, & fructus arborum magna ex parte consummati iam extant: simulq; mutatio quædam eius ipsius, atq; temporis sequitur. Quæ autem imperfecta immaturaq; occupentur, his & germinatio, & floris prouentus, & fructus perfectio, ex circuitu ad portionem contingit. Quamobrem euenit, ut alia sub solstitijs floreant, alia sub canicula, alia post arcturum, & autumni æquinoctium. Sed hæc communiorem sanè contemplationem, ad determinandam principij rationem desiderare uidentur. Quod autem differentiæ plures, aut nullo pauciores sunt, his ipsis planè iam exploratum habetur. Quandoquidem & perpetuò quædam ex his uireant, ut polium, ut solaris atque capillus Veneris. His ergo differentijs, quibus in rebus, quóque modo fiant, determinatis, nunc singulorum historias exponere cõgruum est, quæ scilicet non pro cuiusq; propria natura consistant, ut quæ spicosa, scandicosaq; constent: & si quid aliud tam commune capi de omnibus liceat, quod familiare sensui sit, aut folio, aut flore, aut radice, aut fructu: ex manifestis enim partitio fiat eorum necesse est, quemadmodum etiam radicum. Spicosa igitur oculus caninus, & cauda uulpina, & plantago, quæ agnina lingua à quibusdam uocata est, & ab alijs coturnix, huic quodammodo similis bibinella est. Verum hæc simplicia, & quodammodo uniformia creantur, & spicam nec acutam, nec aristatam gerunt. Cauda uero uulpina hirsutior, & lanuginosior est, quamobrẽ similis uulpium caudis cernitur, unde & nomen accepit: huic plantago similis constat, nisi quod florem non quemadmodum illa particulatim ædit, sed per totam spicam tritici modo. Ambobus tamen flosculus lanugineus exit, sicut etiam frumento: similis tota specie tritico est, uerum folio latiori. His proxima reliqua quoque spicati generis, non temere dixeris.

Cichoracea

Cichoracea omnia annuo folio constare. Item de caule cichoreæ, id est, intubi: de Porcellia, Aphaca, Amaragine: hinc repetitio differentiarum radicum. De Astula regia, Epimenidea, Scilla, Aro, Dracuntulo, Ense, Theseo. Cap. XI

CIchoracea uero omnia folio annuo, & ab radice foliata consistunt: germinant post uergilias, fraude excepta. Sed caulibus, atq; radicibus differentias magnas sortiunt, quippe cum cæterorũ caules simpliciores, minoresq; exurgãt. Cichoreæ, id est, intubi, magnus, multisq; ramulis brachiatus, lentus item, & diuidi cõtumax est: qua de causa pro uinculo eo utuntur. Radice quoq; germen laterale mittere potest, & alioquin radice prolixũ est, ideoq; emori cõtumax: decerptis enim quæ ad usum cibariũ capi soleãt, reliquũ generationis rursus capescit principiũ. Euenit autẽ ut pars eius alia, atq; alia floreat, idq; assidue fiat usq; ad autumnũ, quanq; durus caulis esse uideatur. Fert & siliquã, in qua semen circa postremas cauliũ partes. Porcellia leuior, & aspectu mitior, & dulcior est: nec ut candralia, quæ omnino inguſtabilis est, & in radice succũ lacteũ acrem, eodemq; copiosum habet. Aphaca inguſtabilis, & amara est: festinanter hæc floret, sed celeriter flos senescit, atq; lanugine pappo dicta marcescit. Tum alius iterũ prouenit, atq; iterũ alius, idq; tota hyeme, Vereq; toto usq; estatẽ factitat: flos melini speciem gerit. Simili modo uel amarago se habet: nam ea quoq; Vere florere incipit, nec secus hyeme tota, Vereq; toto perseuerat: gustu amara est, unde & nomẽ accepit. Horũ igitur differẽtiæ tales annotant. Sed tentandũ (ut dictũ est) reliquorũ etiam pari modo colligere differẽtias. Genus aũt uel eorũ, quæ radice carnosa, aut capitata creant, amplũ certe sentit, quod & inter se, & ad cæteras differẽtias (uti retulimus) plerasq; sortit, radice, folio, caule, atq; reliqua forma. Radicũ em (ut dictũ est) aliæ squamis constãt, alię carne: & alię cortice uestiunt, alię nudæ adhęrent: item alię rotundæ, alię oblongæ: & alię uescendæ, alię inguſtabiles. Vescendæ nõ tantũ bulborũ, atq; eiusmodi, uerumetiã astulę regiæ, atq; scillæ: nõ tamen omis, sed Epimenideę uocatæ, quę ab usu nuncupationẽ sortita est: hæc angustiori folio, leuioriq;, q; reliquę constat. Ari quoq; radix cibo idonea est: & folia eiusdẽ decocta in aceto mandi nimirũ possunt, suauis profectò, & ad fracta utilis est. Hæc, ut incrementũ capiat, cũ folijs luxuriatur, quæ admodũ ampla spargunt: folia deflectentes ipsa circũ obruere solent, quò planta nõ in germina excrescat, sed totũ alimentũ in suũ attrahat caput: quod uel in bulbis nõnulli in cõponendo facere assolent. Dracuntuli autẽ radix (sunt enim, qui genus quoddã dracuntuliarum appellẽt, quod eius caulis uarietatẽ habeat quandã) cibo inepta penitus est, & medicis tantũ cõmoda. Ac ensis appellati radix dulcis decocta est, & trita farinæ admista panẽ dulcem atq; innoxiũ reddit: rotũda hæc est, & sine cortice, capillamẽtis gethyi modo fibrata. Permultas iuxta eam scolopendras reperiũt: gaudent enim ea herba, frequentesq; congregant in eam. Thesei radix gustu amara est, tusa aluum purgat. Sunt & aliæ quædam medicæ. Verum pars maior radicum neq; medica, neq; cibo idonea constat. Et differentias quidem radicum has liceat adnotari.

Discrimen herbarum per folia, per caules. Scillam ante portas satam contra ueneficia esse. Deq; narcisso, & scilla: peculiare de amygdala. Cap. XII

FOliorũ uero discrimen, magnitudine, figuraq; accipi debet. Etenim albuco foliũ prælongũ, angustũ, lentumq; leuiter: scillæ latũ: ensi uel pugioni (ut quidã uocarunt) ad ensis effigiem exit, unde & nomẽ herbæ impositũ est. Consecratrici harundinaceũ potius constat. Aro cũ latitudine cauum, atq; cucumeraceũ est. Narcisso angustũ, frequens & pingue. Bulbis, omnibusq; bulbosis ualde angustum, sed croco angustius. Caulis alijs omnino nullus, ut aro, quod mandi potest. Nonnulla caulem tantũ floris sortiunt,

ut narcissus, & crocum. Alijs nimirũ caulis assurgit, ut scillæ, bulbo, omnibusq; bulbosis: item consecratrici, & pugioni: sed omniũ maxime astulæ regiæ. Caulis enim dictus albucum unice inter omnes excellit: consecratrici minor quidẽ, sed durior, in totumq; albucum æmulans. Semen quoq; abunde astula regia profert, lignosum semen id est, figura triquetra, colore atro: gignitur in orbiculato quodã, quod flori subest, decidit æstate. Cum orbiculatũ illud dehiscit, floret per partes, ut & scilla: incipiunt ab imis. Vermis in albuco gignitur, qui in aliud animal uolatile, floridumq; transfigurat. Quod cũ herba florere incipit, eroso statim operculo euolat: peculiare is præ cæteris leuibus cauliũ generibus sortiri uidetur, quoniã cum angusto corpore sit, in ramulos superne spargat. Permulta ad cibũ affert utilia: quippe albucũ tostum in cinere mandit, & semen torrefactũ usui est: sed radix tusa cũ ficu in usu maxime omniũ uenit, & utilitatis plurimũ autore Hesiodo prębet. Omnia igitur capitata, radice uiuacia maiorẽ in modũ sentiunt: sed prębipue scilla, utpote quę suspensa uiuere possit, & quidẽ plurimũ temporis. Potest etiam fructus recondendos seruare, ut poma punica, detracto pediculo. Et satorũ nõnulla celerius apud eam germinant. Tradit, & ante portas satam, remedio esse contra ueneficiorũ noxã. Omnia hæc uniue sim proueniunt, ut etiam cepæ, & allia. Germen etenim ab radice laterale producunt. Nõnulla etiam è semine idem hoc euidẽtissime faciunt, ut astula regia, lirium, pugio, bulbus. Sed bulbo peculiare datur, quod nõ simul ex omnibus seminibus exit, sed partim anno primo, partim secundo: ut etiam de auena, & loto traditum est. Id ergo, si uerũ sit, cõmune cũ alijs habetur. Necnõ & illud fortasse commune est, quanq; non multis, mirũ tamen quod in scilla, narcissoq; euenit: cæterorum enim tam recens satorũ, q; regerminantiũ, suo tempore primo foliũ oritur, deinde caulis exit: in his uero caulis prius, & narcissi quidẽ floris tantũ caulis protinus exit: flos enim eius plurimum festinat. Scillæ autẽ caulis per se prius, tum flos ex eo emergens insidit, eademq; florũ prouentus ternos ostendit: quorũ primus tempus arandi primũ significare uidetur, secundus mediũ, tertius nouissimũ: quot enim fuerint isti, totidẽ & arandi tẽpora fermè occurrũt: sed cũ ita senuerit, tunc foliorũ exortus multis postea diebus inceptat. Idem uel in narcisso fieri solet, nisi quod nec aliũ caulem præterq; floris propriũ habet, ut diximus. Neq; fructũ conspicuũ parit, sed ipse flos unà cũ caule desinit, & cũ reflorescit, tunc folia exeunt. Ergo prę cęteris quidem plantis, hæc ambo peculiaria dixeris. Præ illis uero, quæ ante foliorũ, & cauliũ ortum florere incipiũt, quod iphyum, & alia quædã ex coronarijs facere putantur: atq; etiam inter arbores amygdala potissimũ, aut sola, peculiare hoc sit, quod ea quidem, uel cũ flore foliũ quoq; promũt, uel paulò post, ut de quibusdã ambiguum sit, quæriq; soleat. In his autẽ ex altero quasi principio prodire uidet, cum propter dierum multitudinẽ, tum quod anteq; flos, aut etiam caulis totus senuerit, germinare incipiant. Germinatio uero prior scillæ, posterior narcissi, & foliũ is large emittit, & radix ipsa parua nequaq; est, quanq; non magna: figura nõ absimilis bulbo, uerum non squamata. Hæc igitur quo pacto se habeant, contemplari non ab re est.

Bulborũ genera, & differentiæ. Genus quoddã bulborũ lanigerum esse, unde togæ, & alia uestimenta texantur. Quod peculiare datũ sisyrinchio. Adianti, id est, capilli Veneris folium in aqua nunquã madescere, eiusq; duo esse genera, atq; ambo ad defluuium capillorũ utilia oleo trita. Fidiculam ad urinæ destillationes utilem. Quid anthemo peculiare. Cap. XIII

PLura autẽ genera esse bulborũ nimirũ constat. Differunt nanq; inter sese, magnitudine, colore, figura, sapore: quippe cum adeò dulces quibusdã in locis exeant, ut uel crudi mandi facilime possint, ut in Cherroneso taurica. Sed maxima, peculiarisq; præcipue differẽtia lanigerarum herbarum adnotatur: est enim genus quoddã eiusmodi littoribus nascens,

naſcens, lanamq; ſub primis tunicis habens, ut inter internum quod manditur, & externum media iſta conculcetur. Texuntur ex ea & togæ, & alia ueſtimenta: qua de cauſa lanatum id conſtare putaueris, nõ modo illius indici crinitũ. Quin & bulboſa plura, nec ijs pauciora notare licet: exempli gratia: uiolam albam, bulbinam, opitionem, cyicem, & ſiſyrinchium quodammodo, quæ quidẽ redigi ad bulborum genus deſiderant, quod radice orbiculentur. Nam colore quidẽ penitus diſcrepãt: candent enim, nec ſquamis conſtant. Peculiare ſiſyrinchio datũ eſt, ut una radix primo augeatur hyeme, tum ineunte Vere, quod in imo excreuerit, contrahatur, ſupernumq; creſcat, quod manditur. Atq; hæc differentias ſortiri eiuſmodi conſtat.
10 Propria uero herbaceis uel illa tribui ſolent: Adianti, id eſt capilli Veneris folium in aqua nunq; madeſcit, nec quicq; adhæſiſſe humoris conſtat: unde & nomen herba accepit. Genera eius duo, candidũ, atq; nigrum: ambo ad defluum capillum utilia, oleo trita. Naſcuntur maxime locis humidis. Fidicula uel ad deſtillationes urinę unicę facit, ut quidã exiſtimant: caulem hæc capillo Veneris nigro ſimilem gerit: folia admodũ parua, denſa, aduerſa, inter ſeſe condita: radicem minimã: loca amat opaca. Inter ea uero, quæ florere particulatim notantur, peculiare, quod in anthemo fieri ſolet: cũ enim cæteris omnibus propriũ ſit, ab ima ſui parte deflorere incipere, id à ſummo incipit florere: candidus flos circundat, mediũ uiridis tenet, & ſemini color idẽ. Decidit id uti & ſpinoſorum conceptaculo inani relicto. Genera eius plura.

20 *De lappa, ſolari, carduo, hirundinaria, ſemperuiuo, loto, melfrugo, ueſicaria, quodq; eius tria ſint genera.* Cap. XIIII

Notabile & in lappa, quę ſuę aſperitatis cauſa ueſtibus adhęreſcit, ut difficile auferri poſſit. Naſcitur em flos in eo ipſo hirſuto & aſpero nõ exiens, neq; euidens, ſed intus matureſcens, & ſemen pariens, ut illis ſimile ſit, quod in galeis, ac uiperis euenit. Illa enim ubi intra ſe oua pepererũt, mox animalia gignunt: & hæc florem in ſe continens, concoquensq;, fructũ deinde parit. Quæ autem ita uel florent, uel germinant, ut aliqua ſequi uideantur, uelut ſolaris uocata, & carduus (nam ea quoq; cum ſolſtitiũ agitur, floret) item hirundi-
30 naria, quæ aduentu hirundinis ſuum excitat florem: hęc partim naturalem, partim fortuitam habere cauſam apparuerit. Quinetiam in reliquis propria eiuſmodi permulta intelligi poſſunt, ut ſemperuiuo datũ à natura eſt, quò humidũ, uirideq; ſemper durare ualeat: folio carnoſo, leui, atq; oblongo id conſtat: planis parietinis naſcitur, necnõ & in tegulis, cum terræ confluuium quoddã arenaceum factũ eſt. Ad hæc alia permulta naturæ ſuperuacuæ noſſe forſitan poſſis: ſed (ut ſæpe retulimus) differentias comparatione cæterorũ ſemper contemplari oportet. Quædam enim formis pluribus conſtant, quanq; nomẽ unum ſortiantur, ut ita fermè æquiuoca ſint, ceu lotus: huius enim genera plura redundant, folio, caule, flore, fructuq; diſcreta: inter quæ uel illud redditur, quod melfrugum appellant, diuerſum tum uiribus in
40 uſu cibario, tum quod nõ eadem loca deſideret. Alia quoq; plura hunc in modum facile aſſignari poſſunt. Quædã uero q̃uis generibus exiſtunt paucioribus, tamen nõ minus diſcriminis ſortiri uidentur, ut ueſſicaria, quæ cognomine noĩs tantum, & quadã planè æquiuocatione accipitur: Vna enim cibo idonea eſt, & fructũ quaſi urbanum acinoſum præſtat: duæ uero, quarũ altera ſomnũ, altera inſaniã infert: & ſi copioſior detur, interimere ſanè poteſt. Pari modo & in reliquis, quæ plurimũ inter ſe diſtent, accipi idem licet. Sed de cæteris herbaceis ſatis dictum. De frumento, uniuerſisq; frumentaceis, de cætero indicandum: hoc enim reliquum adhuc eſt.

HISTORIAE PLANTARVM LIBRI SEPTIMI FINIS.